

(11)
INFORMATIO

SEU

SPECIMEN CAUSÆ

Ex antiquis & novis deductum.

INTER

D. COMITEM

DE STUBICK

APPELLANTEM

ET

D. COMITEM

DE BATHIANY

APPELLATUM.

M. DCC. XXXIX. 170

175
-1
175
29 1. 27 9.

INFORMATIO

SEU

SPECIMEN CAUSAE

EX BIBLIOTHECA

ACAD. GEGORGIAE

AUGUSTAE.

D. COMITUM

DE STURBIC

APPELLANTUM

ET

D. COMITUM

DE BATHIANI

APPELLATUM.

M. DCC. XXXIX.



INFORMATIO
S E U
SPECIMEN CAUSÆ

Ex antiquis & novis deductum.

INTER

D. COMITEM DE STUBICK

APPELLANTEM

ET

D. COMITEM DE BATHIANY

APPELLATUM.



AMETSI asperam hactenùs fortunam passa sit
Causa D. Comitis de *Stubick* cum D. Comite de
Bathiany, celebratissima tamen Supremi Imperia-
lis Judicii æquitas & perspicacia sperari meliora
jubent, si Informatio sequens ex antiquis & novis deprompta,
nonnullisque identidem animadversionibus munita benevolè
perpendatur.

Contentio est inter Partes, de Feudis de *Farcienne* & *Ter-
gnies* in Episcopatu Leodiensi sitis, quæ contrà actualem eo-
rundem Possessorem Comitem de *Stubick* Appellantem, *Carolus*
Comes de Bathiany Appellatus Filio suo Comiti *Eugenio* asserere
studet. Utriusque Jura hîc pensaturi, à Juribus Possessoris
initium ducimus.

Causam ille habet ab Excellentissima D. *Maria Philippina*

N. 1. 2. *Principissa de Longueval Comitissa de Bucquoy* Coniuge sua nuper fatofuncta, Titulo Donationis remuneratoriæ de 26. Junii 1730. realisatæ apud Curiam Feudalem Leodiensem die 28. ejusdem Mensis, in cujus quoquè sequelam D. *Comes de Stubick* Donatarius ad homagium debitum die undecimâ mensis Augusti sequentis admissus fuit, quòd & ibidem præstitit.

Non est autem inter Partes controversum, quin Jure Leodiensi valeant Donationes virum inter & uxorem etiàm de Feudis, & sinè agnatorum assensu, & sinè Domini directi licentia, quæ solùm requiritur in dispositionibus mortis causâ, & quam tamen Domina *Maria Philippina* etiàm ex abundantanti priùs obtinuit, quàm Donationem de qua agitur faceret & utiquè priusquàm supremo suo Codicillo de 13. Augusti 1735. illam suam Donationem intactam servari mandaret.

Et sic nec agitur quidem, de probandis meritis Donatarii ergà Donatricem, nec de probanda meritorum æquivalentia ergà res donatas, utpotè quòd inter personas prohibitas non versemur.

Feuda porrò de quibus ad *Mariam Philippinam* pervenerant ab obitu *Philippi Emanuëlis Principis de Longueval Comitis de Bucquoy* Fratris ejus sinè prole defuncti, qui post obitum tam *Ferdinandi* Patruis sui etiàm sinè prole defuncti, quàm *Caroli Philippi* Patris sui, Domino *Alberto* Avo suo successit.

Itaque super Jure vel Titulo *Alberti* principalis volvitur inter Partes disceptatio.

N. 4. Dùm enim hunc Titulum Comes Appellans metitur ab instrumento non impugnato de 27. Augusti 1616. realisato apud Curiam Feudalem die 2. Maii 1618. quo quondam Domina *Joanna Sterck* Vidua sinè liberis, præarrato, quod jam antehac fato *Alberto* suo Filiolo spirituali (qui etiàm defuncti sui Mariti Nepos erat ex Sorore) Castrum & Dominia de *Farcienne* & *Tergnies* cum annexis (eum tamen ad modum quo ea defunctus suus Maritus acquiserat anno 1596, & salvâ sibi reservatione posteriùs acquiritorum ab eodem suo Marito, quorum illa sibi retinuerat Proprietatem & disponendi Facultatem) donaverit,

Nunc illa Reservata, quæ consistere dicebat in *Villis, Domibus, Hortis, Agris, Pratis, Sylvis, Reditibus, &c.* ex asse donavit & donat irrevocabiliter & inter Vivos præfato *Alberto*, hâc adjectâ clausulâ :

Ut dictis Terris & Dominiis de *Farcienne* & *Tergnies* in prima Donatione comprehensis, simul ac omnibus dictis partibus factus Dominus *Albertus* deinceps gaudeat, utatur & potiatur tanquam sibi propriis, virtute hujus Donationis.

Textus Gallicus est.

Pour de la dite Terre & Seigneurie de *Farcienne* & *Tergnies* en la première Donation comprise, ensemble de toutes les dites parties jouir, user & profiter par le dit Don *Albert* d'ici en avant comme à lui propre en vertu de cette Donation.

Quæ Instrumenti verba si modo non perfunctoriè, sed cum omni sua emphasi ponderentur, aperte demonstrant, quòd independenter ab omni alia Donatione quæ præcesserit, & cujus nequidem datam Donatrix expressit, voluerit illa, ut tam Bonis in Donatione anteriori comprehensis, quam Partibus tunc additis *Albertus* gauderet ex nunc in futurum virtute, seu in vim, seu vigore hujus, id est præsentis suæ Donationis.

Hocce pacto, sua retrò donata in aliam planè scilicet hanc Donationem refundendo, atquè initium Possessionis & Juris *D. Alberti*, ad hanc ipsam Donationem revocando, pari effectum ac si nulla unquam alia, sive eadem, sive major, sive minor præcessisset Donatio; sic acceptante *Carolo* Patre, pro *Alberto* pupillo filio suo Donatario, cujus notorium erat interesse, Donationem totalem & liberam partiali & gravatæ, (esto quòd nullum aliud commodum simul adfuisset) anteferri.

Dùm, inquam, hoc Jure Titulovè *Alberti* se tutum existimat *Comse* de *Stubick*, alium Consultores *D. Comitis de Battbiany* Juris *Albertini* Titulum ei obtrudere voluerunt, videlicet Scripturam aliquam datam habentem de 17. Maii 1608. & in Li. N. 5. bris Curia Feudalis *Leodiensis* registratam anno 1610. à qua, ejus Clausulis Fideicommissoriis tam Jus *Alberti* pependisse, quam Jus *Comitis Eugenio* ortum esse voluerunt, utpotè quòd inter Descendentes ex *Alberto* numerandus sit Comes *Eugenius* de *Battbiany* ex filia Nepos *Mariae Philippinae*, cujus Avus fuit *Albertus*.

Legenti tamen & perpendenti prætentam Donationem istam de anno 1608. ac etiàm sepositâ illius illegalitate, (de qua infra) mox occurrit, ampliùs agi de ea non posse, postquam uti diximus, in aliam octo annis posteriorem funditus est refusa, utpotè vi cujus posterioris Bona, quodcumque priùs *Alberto* donata imposterum ab eo possidenda, fuerunt, tanquam tunc demùm donata.

Superlativè enim stringit, quòd non modò partes donatæ seu additæ anno 1616. factæ sint possidendæ in vim *hujus* Donationis, sed quòd in eadem Clausula & periodi Structura ipsum *Territorium de Farcienne & Tergnies in prima Donatione comprehensum*, haud minùs, quàm ista Nova *addita* simul addicatur possidendum in *vim* seu *virtute* illius Donationis de anno 1616.

Quo stante, nihil remansit, quod in vim anterioris cujuscumque Donationis possessum fuerit vel ultrà possideri potuerit; imò juxta Juris Censuram nihil superfuit, quod ex anteriori Donatione donatum dici potuerit, quandòquidem ab omni anteriori Donatione partes eo ipso recesserint, quo *totum* in vim novissimæ Donationis possidendum pars una dedit, altera acceptavit; eîs verbis, quæ cujuscumque prioris Donationis substantiam vel concomitantiam apertissimè excluderunt.

Hinc parum movet, quòd hæc supposita de anno 1608. & registrata anno 1610. scriptura Donationis clausulas fideicommissorias, easque prægnantissimas habeat; sicut habet etiàm clausulas Ususfructûs vel Dominiî rerum donatarum ad dies vitæ Donatricis reservatorias, ac insuper expressam aliorum bonorum ibidem loci sitorum continet reservationem;

Nam equidem ex asserta ista scriptura, vel si sic dicere placet, ex isto Contractu nihil juris aut oneris remansit apud *Albertum*, nequidem quoad partes illic, uti supponimus, sub modo & conditione donatas; postquam *Albertus* ex nova Donatricis voluntate amisit Jus, si quod haberet, & possidere desit si quid possideret, amplectendo legem novam, juxta quam & illa quæ jam priùs donata erant, & hæc quæ posteriùs donabantur; seu *Complexum* universum possidere debuit ex unico Titulo novo, & unico Contractu posteriori, universa Bona & specificè ipsa priùs donata ad se trahente.

Jam verò si posterior ille Contractus, qui totius acquisitionis regula & norma dicendus est, omni caret clausula fideicommissoria; si liber est ab omni Ususfructu, vel retentione Dominiî ad dies vitæ, & ab omni aliquarum partium reservatione, quidni dicamus eundem effectus suos sortiri debuisse & debere (uti sonat) adæquatè liberos?

Dicat enim qui potest, quo Consilio, quo fine? vel quo

intento? stipulata fuisset Donatrix verbis adeò clari^{is}, ut *Territorium & Dominia de Farcienne & Tergnies* antea donata, tunc simul cum aliis quæ tunc donabantur *virtute hujus Donationis* præcisè possiderentur? nisi ut significaret, nullam ultrà habendam esse anterioris cujuscumque Donationis illa bona concernentis rationem, sed eam pro circumducta & inefficaci post hujus eventum esse reputandam.

Porro parùm interest, an donatrix hujuscemodi terminis usa sit, an aliis æquivalentibus qui equidem significaverint quòd totum Jus & tota Possessio *Alberti* deinceps metienda essent ex novo Contractu, exclusâ penitus virtute & efficacîâ cujuscumque anterioris.

Et verò nemo non videt, quòd si donationem aliquam anteriorem, unâ cum hac posteriore subsistere donatrix ulterius voluisset, istud ipsum disertè potiùs expressisset, quàm terminos contrarios vel saltem aptos, qui ad novissimam donationem universa antè gesta reducerent, adhibuisset; maximè si de ejusmodi anteriore donatione (qualis facta prætenditur anno 1608.) multiplices easque gravissimas continente clausulas, de quibus nec verbum in Donatione de anno 1616. legitur, cogitasset.

Sed quid de terminis istis relinquimus suspicandum, quasi simpliciter ambiguus, dubiis, vel incertis; dùm eosdem relegendò & vim eorum perpendendo; ut *Albertus* quæcumque antehac ei donata nominatim *Territorium & Dominium de Farcienne & Tergnies in prima Donatione comprehensum* deinceps possideat *virtute hujus Donationis*, legem & clausulam inspiciamus ex professo revocatoriam, simulque novatoriam anterioris cujuscumque dispositionis.

Imò quæ notoriè otiosa & sinè effectu operandi (id quod jus & sana ratio non patiuntur), permaneret, nisi anteriorem quamlibet dictorum bonorum vel partis eorundem donationem absorberet & perimeret; utpotè nunc factam incompatibilem cum posteriore omnia de Partium consensu involvente, ut unicam efficiat omnium Donationem, Titulum unum & unam Possessionem.

Verùm tamen absit, ut placita Partium sic invertamus vel contorquenda putemus, quasi ea quæ dicto anno 1616. primùm donata fuerunt, æstimari debeant tanquàm si jam tum ab anno 1708. vel quovis alio antè Contractum de anno 1616. tempore fuissent donata.

Hoc enim è diametro repugnaret verbis Contractûs anni 1616. aientibus, omnia & nunc priùs donata in vim præsentis donationis esse possidenda.

Sic ergò dijudicanda res est ut verba sonant, & non aliter; nempè ut quæcumque bona vel anno 1608. vel quolibet alio tempore ante annum 1616. donata æstimanda sint transiisse demùm ad *Albertum* ex vi Donationis de anno 1616. quandoquidem hæc sint verba expressa Contrahentium.

Quibus stantibus, vanum est, ultrà sollicitum esse de clausulis fideicommissoriis anteriori forsan Donationi insertis.

Etenim hæc pro merito perpendendæ forent, si Donatrix posteriorem nunc faciendo Donationem bona quæ nunc donabat voluisset reputari tanquàm donata ex tunc, seu vigore alicujus anterioris Donationis, fideicommissorias clausulas fortè annexas habentis.

Ast non potest non esse vana consideratio istarum clausularum, ubi è contrario manifestè constat ex una parte, ipsamet bona anteriùs donata per Donatricem esse ad naturam posteriùs Donatorum seu ad statum posterioris Donationis revocata; non solùm perindè ac si ea antiquiora demùm ex nunc donata forent; sed etiàm ut illa antiquiora ejusdem posterioris Donationis statum & naturam participarent, utpotè quæ dicta sunt possidenda *virtute hujus Donationis*.

Et ubi ex altera parte in manifesto similiter est, *hanc* seu posteriorem id est de anno 1616. Donationem nihil vel per umbram continere fideicommissi, id quod utiquè jam sufficit ^{ut} pro libertate judicetur, & ne res per se odiosa vel suppleatur vel subintelligatur.

Nec refert, voluntatis mutationem in jure non præsumi, ast imò perseverantiam; proindè nec facillè præsumendum, *Joannam* quæ anno 1608. fideicommissum Bonis tunc à se donatis imposuisse prætenditur, ab eo per posteriorem donationem recedere, & ipsis quæ sic gravaverat Bonis libertatem restituere voluisse; Quia sicut hæc lubenter concesserimus quatenùs in simplici abnutivo ex parte *Joanne* versaremur; hoc est si de posteriori voluntate *Joanna* vel nullatenùs vel non nisi ex parùm relevantibus conjecturis constaret; ità secùs omninò dicendum, ubi instrumentaria adsunt verba, quæ ipsimet dispositioni per quam inductum erat fideicommissum, aliam substituerant, *vi cujus* istamet priùs donata deinceps possidenda esse determinarunt; Hoc enim semel posito jam clarum est, quòd ad unicæ istius posterioris leges convertendus sit animus, sic ut omiſsa in hac pro omiſſis & non ultrà volitis habeantur, dum repetita non leguntur, stante juris Regula, quòd omiſſum in contractibus pro omiſſo sit habendum.

Hoc itaque est primum caput defensionis D. Comitis Appellantis pro libertate bonorum istorum quæ à D. Conjuge ex remunerationis, uti dictum est, causa jam ab anno 1730. accepit certantis; quod tamen fundamentum adhuc infrà perpendendum recurret. Progrediamur interim ad secundum.

Illud

Illud in eo constituitur, quod licet haud diffiteamur, quin contractus donationis de anno 1616. præcesserit aliquis alius contractus donationis inter easdem personas & super aliqua eorundem bonorum parte, quemadmodum cantat ipsummet Instrumentum de anno 1616. quo D. Appellans utitur; at tamen nullatenus probatum appareat, quod iste alius contractus dicendus sit ille ipse, quem Adversarii jactitant quasi de anno 1608. cum clausulis fideicommissoriis & aliis in scriptura quæ datam habet istius anni 1608. contentis;

Quandoquidem ne hætenus quidem in facto probata sit per ullum Autographum vel Copiam authenticam res gestæ talis Contractus, adeò ut nihil imponat necessitatem admit- tendi, quod ista scriptura datam habens de 17. Maii 1608. sit realiter ipsamet Donatio, cujus facta mentio est in Do- natione de anno 1616.

Undè enim prodiit illa scriptura, quam Adversarii edi- derunt in actis? Aiunt illam esse Copiam extractam è Regi- stro Curix Feudalis Leodiensis, in quo extensa fuit anno 1610. Ità esto: sed quæ fides deberi potest isti extensioni, quamdiu non constat, scripturam undè facta fuit extensio, legalem esse vel authenticam?

Deductum est in actis, qualiter istorum Registratorum unica sit opera, registrandi (salario mediante) scripturas, quæ sibi eum in finem præsentantur; quodque nulla sit eorum sollicitudo inquirendi, an eæ scripturæ requisita habeant in- strumentum publici; quia licet sub mutuato nomine Judicis Magistratûs aut Curix sese subscribant ejusmodi extensionibus, attamen tota fides eorum ad unicum Registrationem refertur, quin quidquam indè accedat authoritatis vel fidei respectu ipsiusmet instrumenti descripti, nisi forsan ab ipso Judice servatis servandis fuerit recognitum.

Quam etiã ob causam dictis registraturis seu realisationi- bus apponi solita est, & semper subintelligitur clausula: *Jure cujuslibet salvo.*

Quid vidit autem Secretarius vel Amanuensis ille quod re- gistravit anno 1610.? Nil aliud quàm scripturam (qualis ex adverso producta fuit in actis primæ instantiæ 18. Maii 1733. sub litt. A.) habentem in capite titulum Magistratûs Bruxel- lensis, & in calce enunciativam, quod Magistratus ille man- daverit in fidem apponi Sigillum ad Causas dictæ Urbis.

Hætenus ergò nihil vidit, quod per se fidem faciat; nam

talis scriptura adhuc hodiè posset à quocumque , & cum eadem enunciatiua confici & describi , sicut pluries in actis descripta est ; sed longè abest ut hæc descriptio factura sit ex privata scriptura publicam vel authenticam.

Vidit insuper , quòd illa scriptura his clauderetur verbis , quæ etiàm transcripsit : *Sic signatum F. Van Asbnoeck , & appendebat dicto actui unum magnum Sigillum in cera viridi.*

Sed actum illum , vel propriam dicti *F. Van Asbnoeck* Signaturam se vidisse , examinasse & agnitam habuisse nequidem narrat aut refert ; multominùs profitetur se Sigillum ipsum appensum vidisse , & pro Sigillo Magistratùs Bruxellensis recognovisse.

Cur ergò credamus , eum ista vidisse & recognovisse , quæ nequidem asseruit ? Vel quænam deberi potest simplici isti registrationi fides , quamdiù non producit illa ipsa scriptura , ex qua transcriptio facta fuit ; utpotè citrà quam verè cognosci nequit , an ea legalis & authentica vel pro tali habenda fuerit potiùs quàm simplicissima scriptura , in quâ jam exaratum erat illud : *ita signatum* , cum tota sua sequela ?

Proindè , quamdiù saltem incertum manet , an Registrator ex proprio suo sensu scripserit illud : *ita signatum* , &c. quia Signaturam originalem viderit : vel an non unicè transcripserit , hæc ipsa verba , quia eadem jam sic extensa legerit ; notoriè juris intrat axioma , ut Actore non probante Reus absolvatur , præsertim quòd nulla alia scriptura vel copia ab aliquo saltem Notario exemplata in medium adducitur , undè tantoperè vacillans fides corroboretur.

Præmissa confirmantur ex Doctrina *Caroli de Mean* styli & praxeos Leodiensis peritissimi , expressè monentis Obs. suâ 146. N. 4. Rei gestæ alicujus Instrumenti etiàm registrati , vel realitati fidem nullatenùs pendere ex facto vel Registro describentis , sed omninò ex fide Tabellionis seu Notarii , qui Instrumentum recepit ; idem autem dicendum est de Secretario Magistratùs , qui Contractum excepisse proponatur , si factum ipsum aliundè non probatur.

Et verò passim videntur Instrumenta descripta cum erroribus & omissionibus per Registratores illos admissis , imò descripta talia , quæ nec figuram multò minùs substantiam habent publici Instrumenti , cujusmodi unum nuper produxit Comes de *Stubick* verba faciens de somma triginta

millium florenorum quasi in Dotem data, quamvis nec diem N. 6.
habeat nec mensem, nequè constet de subscriptione Notarii
qui subscripsisse dicitur, nec in Protocollo illius Notarii nunc
defuncti reperiatur, & tamen prætensum illud Instrumentum
haud minùs registratum & realisatum fuit die 5. Februarii
1735. & indè relaxatæ ac productæ in Judicio copiar, quas
~~non~~ nimis absurdum foret existimare idoneas ad proba-
tionem Contractûs quasi celebrati.

Itaque meritò dictum putamus, quòd istæ realisationes
seu descriptiones in Registris, earumve extractus ponderis
nihil habent, dùm principaliter agitur de re gesta seu de
veritate Instrumenti & contentorum in eo, postquam plene
doctum est non assumi Descriptores istos, ut fidem faciant
Instrumentorum, sed præcisè ut describant & fidem faciant
se descripsisse, id quod eis fuit præsentatum.

Nec in contrarium movet objectio, quòd si ità se res ha-
bet, dicendum sit, Archivia illa Leodiensia nunquam pro-
batura esse; quia si aliquandò probent, semper & omni casu
necessè sit ut probent;

Respondetur enim cum distinctione ut supra, quòd Ar-
chivia illa semper probent & probatura sint in puncto Re-
gistrationis, quia hæc semper est Actus legalis, gestus ab
Officiali eam in rem autoritate publicâ constituto;

Ast de cætero per se non probent, nec unquam probatura
sint rem gestam ipsius instrumenti quod descriptum est, nisi
insuper accedant ejusmodi circumstantiæ, ex quibus copiar
etiàm simplici deferri fidem jura indulgent; quales sunt in
primis observantia hinc indè secuta, vel editio in Judiciis
alteri Parti facta citrà impugnationem, aut alia, de quibus apud
DD., quæ hoc in casu absolutè deficient, imò pugnant
contrà producentem, ut infra patebit.

Undè etiàm illud ipsum sustentum nostrum, (videlicet nul-
lam istis descriptionibus fidem per se deberi) vix non ag-
noscit altera Pars, dùm rotundis admittit verbis, has de
quibus agimus descriptiones per se nihil probare, si ab Au-
tographo seu Originali sint difformes;

Ex hoc enim inferendum est absolutè, quod non pro-
ducto Autographo non probent; utpotè quòd interim maneat
incertum, an sint nec ne Autographo conformes. Et si quis
dixerit permanere saltem aliquam pro eis præsumptionem,
nihil præstiterit, quoniàm in materia gravi & odiosa contrà

Reum & Possessorem non præsumptionibus sed probationibus certandum est.

Fidem quidem scripturæ illi datam ferenti de 17. Maii anni 1608. & registratæ anno 1610. ex variis Adversarii contendunt augeri. Ne tædeat singula audire.

Primum sit illud quod dicunt, die nonâ Junii 1610. confectum fuisse coràm Magistratu Bruxellensi aliquem Actum, in quo mentio facta sit illius qui datam habet 17. Maii 1608. cum addito mandato speciali ad eum Actum ubi opus renovandum & realifandum : quale instrumentum sic concluditur : signatum erat *F. Van Asbnoeck* & appendebat eidem Actui in pergamenò Sigillum unum in cera viridi.

Verùm enim verò hoc dicunt : sed non magis probant. Quippè quòd respectu hujusmet scripturæ, eidem & quotquot modò notati sunt in prætenfa anteriore de anno 1608. recurrant defectus ; quo fit ut una alteram convalidare nequaquam possit, sed ambæ in eadem damnatione sint ;

Scilicet ob defectum probationis quòd productum fuerit hîc vel illîc ullum Autographum seu Originale, in quo propria manus *F. Van Asbnoeck* & proprium urbis Bruxellensis aliudve Sigillum reverà adhibita fuerint & pro talibus recognita ; qui defectus nequidem suppletur per aliquod saltem exemplum notariale, quod Signaturæ & Sigilli, tanquàm in Authographo appositorum, fidem tentet adstruere, vel per adminicula alia, quibus suadeatur illa adfuisse.

Sanè verò vix non ridiculum est id quod aliqui prætenderunt, Sigillum sub aliqua scriptura appositum nullâ opus habere recognitione ut fidem imprimat ; id quod perindè est, ac si quis diceret, nihil interesse cujusnam appositum fuerit Sigillum dummodò aliquod fuerit appositum, quæ imaginatio non minùs rectæ rationi quàm aperto juri repugnat ; quandoquidem Sigillum non possit plus operari quàm subscriptio ; hæc autem recognoscenda sit ut probet, ergò similiter recognoscendum est Sigillum, ut sciatur cujus sit, & an ejus, sub cujus nomine vel mandato dicitur appositum ? Quapropter etiàm de recognitione Sigilli faciendâ non minùs quàm de recognoscendâ scriptura tractant passim DD.

Undè manat, quòd neutrius seu non magis asserti Instrumenti de nonâ Junii 1610. quàm asserti anterioris de 17. Maii 1608. descriptio in Registris quidquam probet, quia Juris regula

regula tritissima manet, quòd referenti vel describenti non creditur, nisi constet de relato vel descripto.

Nec juvat, quòd utiquè constet, aliquem istius Cognominis *Van Asbnoeck* fuisse urbis Bruxellensis Secretarium: Nam nec hoc in dubium fuit unquam revocatum; sed quòd ille *Van Asbnoeck* Secretarius hujusmodi Instrumento subscripserit, hoc fuit negatum, & hætenùs non est probatum; unum tamen absquè alio nihil planè ponit in re.

Alterum, quo fidem impugnata hætenùs scripturæ de anno 1608. impinguare satagunt Adversarii est, quòd Tenor realisationis factæ coràm Curia Feudali Leodiensi sub die 17. Augusti 1610. memoret comparuisse illic duos Procuratores, unum quasi ex parte D. *Joanna Sterck*, alterum quasi ex parte *Caroli de Longueval*, qui Donationem Cessionem & Transportationem à *Joanna Sterck* in rem *Alberti de Longueval* factam quoad Bona de *Farcienne* ibidem renovaverunt in vim assertorum suorum mandatorum respectivè enunciatorum de 17. Maii 1608. & nonâ Junii 1610.

Sed jam dictum est suprâ, de dictis mandatis non constare, quoniàm asserta duo Instrumenta prædicta, licèt extensa in Registris Curia Feudalis, destituta sunt essentiali suâ probatione in puncto realis Signaturæ *F. Van Asbnoeck*, qui dicitur ea uti Secretarius excepisse vel subsignâsse, undè fit quòd istorum prætenforum mandatariorum gesta nullius esse queant momenti vel præjudicii, quamdiù de mandato eorundem non est formaliter edoctum.

Tertium, eodem fine deductum fuit, quòd anno 1613. quidam *de Soye* mandatarius *Caroli de Longueval* præstando pro D. *Carolo* Tutore filii sui *Alberti* Relevium bonorum de quibus, inseri passus sit eadem bona cessa vel donata fuisse *Alberto* in Curia Feudali die 17. Augusti 1610., ac ità cessionis de anno 1608. cum clausulis & reservationibus illic expressis admiserit eventum.

Sed ad hæc responsum est 1°. quòd facta enunciatio cessionis sub ea data tribuenda non sit isti mandatario *de Soye* sed *Amanuensi* Curia, qui sic enarravit, quia de facto extensionem qualemcumque sub eadem data 1610. in Registro Feudali invenit.

Dictum est 2°. quòd si de aliqua circâ hæc incuria redargui possit mandatarius, ea principali ejus obesse non possit, confitito quòd ille principalis in suo mandato ibidem extenso ne vel minimam fecerat mentionem cessionis quasi de anno 1608.

vel de anno 1610., sed imò planè nullum cessionis filio suo factæ diem, mensem vel annum enuntiaverit, quos proindè supplere absquè ejus assensu nemini licuit.

Deniquè, quòd insuper constet de manifesto talis expressionis errore, postquàm ex indubitatis nunc fulget munimentis, Donationem quidem aliquam circà eadem bona in rem *Alberti* profectam fuisse à *Joanna Sterck* antè plenissimam illam Donationem de anno 1616. 27. Augusti, realisatam 2. Maii 1618: sed antecedentem istam Donationem præcisè ad annum 1612. die 22. Decembris esse referendam, sicut infrà demonstrabitur.

Undè etiàm cavendum est ab eo quòd insinuant Adversarii, quasi Officiatus Principis Leodiensis qui *Albertum* vel *Carolum* monuit, ut debitum Relevium præstaret in illa sua monitione enuntiaverit contractum seu Instrumentum de anno 1608; quo cessante monitionis vel actionis suæ non habuisset, ut aiunt, fundamentum.

Nam in facto non subsistit, quòd Officiatus iste in sua monitione de ullo instrumento de anno 1608. vel de anno 1610. mentionem fecerit.

Et in jure erroneum est, quòd idem Officiatus cessante ejusmodi instrumento monendi jus non habuerit, quandoquidem ad monendum vel agendum uti fecit, sola possessio naturalis vel detentatio simplex rei feudalis de jure sufficeret, ut Possessor relevium deberet.

Unum superest adhuc, undè ejusdem scripturæ quasi de anno 1608. instrumentaliter confectæ fidem coadjuvare & fideicommissi illuc descripti subsistentiam actualem eruere Adversarii insuper laborârunt, nec illud negligamus.

Vim enim fecere magnam in eo, quòd D. quondam *Comes de Waldstein* primus *Mariæ Philippinæ* Maritus in quodam Codicillo vel Testamento suo de 13. Octobris. 1734. scriptum reliquerit, se natu majori filiarum suarum relinquere minùs, quàm juniore, eo quòd seniore sufficenter provisum erit per Bona Leodiensia de *Farciennes* & *Tergnies* post Matris suæ obitum ad eadem perventura ex jure Majoratùs vel Fideicommissi.

Sed ineptissimo argumento, quippè satis cadit in sensum, quod opinatio arbitrantis, hæc vel ista Bona ad alium pertinentia esse vel non esse Fideicommissi subjecta, nec hilum quidem contribuat pro vel contra veritatem Fideicommissi, quoniam hæc veritas aliundè, scilicet ex jure & maximè ex

facto tota dependet, nequaquam ex opinione tertii, jus nullum in vel ad dicta Bona habentis.

Proindè nec ad rem facit, quòd Dominus Comes *de Waldstein*, qui pro affirmativa Fideicommissi opinatus fuit, Dominam Conjugem suam, quam eo Fideicommissio gravatam putabat aliquo legato vel hæreditariâ portione honoraverit;

Si quidem ipsum probat Testamentum, quod Dominus Testator beneficio suo ergà dilectam Conjugem hanc non imposuerit legem, vel onus istud, ut opinatum à se Testatore fideicommissum illa approbaret, seu pro vero reputaret, aut ei sese subjiceret.

Sed imò Testamentum probat, quòd ea quæ Testator Uxori suæ reliquit, eâdem purè, sinè modo, conditione, aut lege reliquerit, undè per hocce legatum seu relictum nihil de juribus uxoriis fuisse constat detractum, multominùs inductum fideicommissum aliquod si jam priùs non aderat; sed imò independenter ab opinione & beneficio Mariti, jura uxoria illibata uti priùs permanserunt.

Et sic soluta manent Partis adversæ argumenta pro legalitate asserti instrumenti de anno 1608. deducta; & si fortè contendant, verisimilem saltem adhuc permanere illius eventum nihil evincunt, cum longè absit, ut sufficiant probabilitates, præsumptiones, vel conjecturæ, dum agitur de primordiali origine & substantia institutionis fideicommissi; quemadmodum eæ fortè sufficerent, si ageretur dumtaxat de ejusdem interpretatione vel extensione: nam hæc duo quantum inter se discrepent, notum est Juris-Consultis.

Verùm tamen, ut abundantius demonstretur, istum contractum de anno 1608. vel sanè nunquam evenisse, vel si evenerit, fuisse saltem de consensu communi revocatum per contractum posteriorem de anno 1616. de quo hæctenus nonnulla dicta sunt. Meminisse placeat adhuc, quòd suppositus ille contractus de anno 1608. varias inter clausulas contineat 1°. restrictionem ad ea præcisè bona quæ anno 1596. fuerant acquisita à Marito *Joanna Sterek* & proindè 2°. excludat disertè alia ejusdem loci bona quæ post annum 1596. ad ejusdem *Joanna* Maritum pervenerant. Contineat autem 3°. expressam in rem *Joanna* ususfructûs seu Domini ad dies vitæ suæ reservationem quoad ipsamet bona donata; deniquè 4°. clausulas fideicommissorias, & cujuslibet alienationis prohibitorias, exuberantibus etiàm terminis conceptas annexas habeat.

N. 7. Jàm verò constat è documento nuper producto, quòd *Joanna Sterck* illa ipsamet bona, quæ in Donationem suppositam de anno 1608., si evenisset, incidissent, nempe *Castrum, Terram, jurisdictionem & Dominium de Farcienne*, hypothecæ subjecerit adhuc anno 1609. die 25. Februarii, quam tamen hypothecationem non nisi nulliter facere potuisset, si Contractus ille de anno 1608. per quem *Castri & Domini de Farcienne* proprietatem jàm in alium transtulisset, evenisset.

Et hinc jàm planè inverisimilis, adeoque inconsiderabilis redditur eventus dicti contractûs de anno 1608. tanquàm incompatibilis cum isto de anno 1609. cujus tamen indubia fides est.

Quòd si verò his insuper addantur enunciativæ antiquæ, nunc in Originalibus productæ, factæ per eos qui bona prædicta administrârunt quidem in rem *Joannæ de Sterck* usquè ad annum 1612. inclusivè; postea verò non nisi in rem istorum de Familia de *Longueval* jàm ab anno 1613. & sequentibus, aliam habebimus non modò inverisimilitudinis antedicti contractûs probationem, sed imò positivam non existentia seu rei non gestæ demonstrationem.

Quippè non solùm constat, quòd hi administratores postquam reddiderunt adhuc ipsimet *Ioannæ Sterck* rationes suorum perceptorum ex dictis Bonis de *Farcienne* pro anno 1612. non amplius eidem *Ioannæ* sed illis de *Longueval* reddiderunt successivè rationes perceptorum ex illis bonis pro annis 1613. & sequentibus, sed etiàm quòd illâ enunciatione pluries ac successivè repetita usi sint, quòd *ista Dominia & Bona de Farcienne & Tergnies ad Carolum de Longueval quâ administratorem pervenerint ex Transportatione & Cessione ei facta per Ioannam Sterck anno 1612. 22. Decembris.*

Quibus verbis, vel leviter attentis, non modò insipidum est, velle insinuare, quòd ab eo tempore *Carolus* pro ipsamet *Ioanna Sterck* administrationem gesserit; id quod & verbis antedictis, & Relevio præstito anno 1613. & aliis instrumentis publicis apud acta productis repugnat nimis, cum ista omnia *Albertum* ex tunc indigent pro vero Possessore Domini & Bonorum de *Farcienne*, sub administratione *Caroli*, sed insuper cum ultrà dubitari nequeat quin illi de *Longueval* bona de quibus possidere inceperint statim à fine dicti anni 1612.; indè necessarium surgit consequens, & quòd

jactitatus

jactitatus contractus de anno 1608. juxtà quem Bona de *Farcienne* permanere debebant apud *Ioannam* ad dies vitæ ejus, vel nunquam evenerit, quia observantia secuta eidem resistit; & quod alius saltem quàm iste quærendus sit contractus de quo ille de anno 1616. tanquàm de antecedenti donatione mentionem fecerit.

Nam utiquè, sicut pro certo asseritur factam fuisse in asserto contractu de anno 1608. reservationem in rem *Ioannæ Sterck* quoad usumfructum vel perseverantiam Domini in rebus donatis ad dies vitæ suæ, ità certum est, quod hi dies protrahi fuerint longè ultrà annum 1612. & 1613. uti doctum est apud acta, exhibito ejus Testamento de anno 1628. die 14. Novembris.

Porrò etiàm hìc cavendum est ab alia adversaria insinuatione, quasi mens nostra foret persuadere quod vigore istius (utivocant) transportûs de anno 1612. *Albertus* vel ejus nomine *Carolus* Pater & Tutor ejus habuissent actualem bonorum omnium Cessionem aut Possessionem, etiàm eorum quæ ab aliqua antecedenti donatione fuissent specificè excepta seu reservata.

Id quod nunquam diximus, cum econtrà priùs reservatorum cessionem & possessionem ad annum demùm 1616. referamus, tametsi aliorum donationem cum fruitione præsentis conjunctam præcessisse non dubitemus à die 22. Decembris 1612., quæ quidem adhuc oblitterata fuit per posteriorem de anno 1616. quæ ipsamet priùs donata resumpsit & de eis à novo disposuit.

Interim verò, cum vix quidquam efficacius demonstrat, contractum aliquem, cujus non producitur Originale nec Copia authentica, fictitium esse, quam si contraria Partium observantia sit manifesta, vel in unico puncto essentiali, qualis est iste reservati ususfructûs ad dies vitæ, manet vis nostri argumenti, postquàm stare non potest iste ususfructus cum ea quam habemus evidenti probatione, quod *Ioanna* frui & possidere desierit anno 1613. & quod illi de *Longueval* ex tunc possidere & frui cœperint, sub enuntiativo & pluries repetito atquè approbato titulo juris & possessionis eorum, per transportationem, & cessionem de 22. Decembris 1612. à *Ioanna Sterck*.

Qualis quidem toties geminatæ enuntiatio facta à personis omnimodam bonorum quæ administrabant notitiam & de cætero nullum planè ad fingendam falsitatem interesse haben-

tibus tantam ingenue veritatis pro se habet imaginem, ut quantumvis Adversarii velint contractum jactitatum de anno 1608. evenisse, fateri eos saltem necesse foret, posteriorem aliquem supervenisse, per quem iste præensus actus de anno 1608. fuisset saltem in usufructu reformatus, & quidem ita fuisset antè contractum de anno 1616. utpotè qui ea propter de isto usufructu nullam planè (quidquid in contrarium dicant Adversarii) fecit mentionem, ne dum specificam remissionem, contentus verbis præsentem & liberam omnium indistinctè bonorum donationem exprimentibus.

Verùm tamen non immorabimur in puncto, quòd observantia, quæ vel in uno articulo probatur fuisse diversa à contractu supposito, sed non probato, tollat in universum quas-cumque præsumptiones pro allegato contractu militantes; item nec in assertione quòd donatio mentionata in contractu de anno 1616. omninò referenda sit ad contractum hunc de 22. Decembris 1612. potiùs quàm ad aliquem adhuc anteriorem, uti supponitur de anno 1608.

Quamvis circà hoc secundum, juri magis consentanea sit sententia, quod si post duos contractus anteriores inter easdem personas & super eisdem Bonis, eveniat tertius contractus, qui simpliciter de anteriori contractu faciat mentionem, non expresso tempore ejus, mentio ista ad immediatè præcedentem, potiùs quàm ad ullum remotiorem sit in dubio referenda.

Nam per nos licèt, relinquuntur ista in bivio; imò qui volet credat, non solùm quòd donatio anterior cujus in instrumento de anno 1616. mentionem fecit *Joanna* (non indicatis tamen anno vel die ejus) fuerit ista incerta quæ obtruditur de anno 1608., potiùs quàm illa magis certa & posterior de anno 1612. quàm observantia istorum temporum, & testimonia Familix ac Receptorum probant;

Sed imò credat insuper, vel supponat, quòd verum & legale sit instrumentum illud, quod anno 1608. dicitur Bruxellis fuisse celebratum, & in Curia Feudali Leodiensi anno 1610. recognitum & realisatum; abstrahat etiàm, si fieri id potest, ab omni donatione de anno 1612.; deniquè assertam donationem de anno 1608. contempletur, quasi de verbo ad verbum narrative extensam in illomet contractu de anno 1616. cum omnibus clausulis quibus ab initio implexa fuisse dicitur;

Ecquid ex his elici tandem potuit? Si post illas suppositiones, mentiones, narrationes & insertiones secuta sit secunda donatio cum expressa dispositione ut N. B. *Dictis Terris & Dominis in prima Donatione comprehensis simul ac aliis partibus adjectis, presatus D. Albertus ex nunc in futurum fruatur utatur & possideatur tanquam de suo proprio in vim hujus Donationis.*

Stantibus enim his, semper & indeclinabiliter exsurget, quod donatio anterior cujuscumque demum diei & anni fuerit, ac proinde omnes & singulae illius clausulae, conditiones & reservationes evanescere debeant ad aspectum istius posterioris, quae Bona prius donata ad seipsam trahendo ea proprii sui juris & conditionis efficit, haud secus ac si sola fuisset, & saltem perinde ac si donatio anterior nullas alias, quam quae in posteriore leguntur clausulas, leges vel conditiones habuisset. Quo semelposito quaecumque Partis adversae oblocutiones quantum innotescere nullo negotio ^{potuerunt} retunduntur.

Sic enim in primis nil juvat dicere, quasi nullum in supradictis terminis adsit verbum quod vel primae Donationis vel Fideicommissi in ea constituti sit revocatorium;

Quandoquidem verba eam ipsam revocationem eminenter significantia sint ea, quibus Donatrix ipsa Bona prius donata *deinceps virtute secundae Donationis possidenda uti propria* specificè addixit, eo ipso tempore quo illam secundam Donationem, totam liberam fecit, dum nullum planè vinculum nec iniecit, nec memoravit.

Verum enim verò, si Bona data ad possidendum in vim seu virtute Donationis secundae, quae omni ex parte libera est, subjicienda nihilominus forent vinculis in anteriori inter easdem personas donatione contentis, id jam non esset possidere virtute posterioris liberae donationis, sed imò esset possidere in vim seu virtute illius anterioris.

Id quod tum verbis tum voluntati Donatricis (quam ipsa verba indicant & quae omnibus praevalere debet argumentis) nimis apertè repugnaret, cum haec voluerit ut non virtute anterioris, sed ut virtute posterioris Donationis quaecumque à se donata & specificè ipsa antehac donata deinceps possiderentur.

Quibus proinde verbis, non solum fideicommissarias & alias quascumque anterioris donationis clausulas revocatas & elumbes factas esse, sed imò totam illius donationis substantiam de medio sublatam esse patet, cum nihil in vim

illius remanserit possidendum, ac proindè nihil quod in vim illius fuerit ex Fideicommissò restituendum cum accidentia sinè subjecto vel onus absquè re non possint consistere.

Alterum Partis adversæ fundamentum est, quòd hocce pacto, id est si donatio posterior anteriorem ad se traheret, accessorium contrà juris regulas suprà ipsum principale dominaretur & ipsum principale ad se trahere.

Sed in primis quid in hoc mirandum accidit si contractibus ità placuerit, cum pacta dent legem Contractibus?

Perperàm verò hæc posteriùs donata reputantur accessoria respectu aliorum sub anteriori donatione cadentium, quasi pars minor respectivè ad majorem; cum constet, ista posteriùs donata seu Bona per Comitem *Ludovicam de Biglia* post annum 1596. acquisita, & quæ Donatrix ipsa enuntiavit consistere in *Colonis, Domibus, Hortis, Agris, Pratis, Sylvis, Censibus, &c.* longè superare valorem istorum in priore donatione comprehensorum, adeò ut nequaquam dici possint eorundem accessoria.

Quamvis si velimus fuisse accessoria quasi pro majori universitatis bonorum splendore vel utilitate conjuncta, nequidem appareat quid indè sumi possit argumenti pro Fideicommissi institutione ac perseverantia.

Postquàm demonstratur, quòd eadem donatio, quæ prætenfa accessoria prætensis principalibus addidit, ipsis etiàm principalibus plenariam libertatem indiderit ex vi sæpetactæ clausulæ *ut Bona priùs donata deinceps virtute secundæ Donationis possideantur*, quo modo enim superesse potuisset vinculum istis priùs donatis, postquàm nullum nec dispositivè nec relativè imò nec enuntiativè indicatum est vinculum in posteriori donatione, à qua tamen dispositio universa quoad omnes & singulas partes ejus etiàm anteriùs donatas justa est dependere.

Nec magis movet argumentum aliud, quasi hæc potissimum ratione mota Donatrix alias adjecerit anteriori suæ donationi partes, quòd difficulter hæc à primo donatis possent separari, & quòd separatae tanti non forent valoris, nec jura & authoritas Dominiorum de quibus tam benè conservarentur, hæc enim expressit Donatrix, & in hoc ut Adversarii aiunt stat causa non impulsiva solùm, sed etiàm finalis dictæ donationis, proindè non extendendæ contrà mentem Donatricis ad revocationem Fideicommissi antea constituti.

Nam

Nam tametsi qui hæc unica verba inspicere, eis quæ dumtaxat (cætera negligendo) inhærere voluerint vix non erit ut non ipsi in errorem incidant & alios pertrahant; quasi totum Donatricis fuerit intentum illud, ut partes suo toti, vel singula suo complexo cohærent:

Attamen periculum non est, ut hoc contingat scientibus & advertentibus, quantum incivile sit ac juribus exosum, nisi totâ lege perspectâ judicare.

Hi enim qui verba Contractûs ex toto contextu hauserint ac penetrârunt, videbunt quidem enarratum, præmissa fuisse per Donatricem considerata priusquam ad ulteriorem deveniret donationem; ast pauci erunt qui non percipient, quàm levis per se fuisset ejusmodi causa donandi, si non alia graviôr, tametsi non scripta simul accessisset.

Pauciores verò, qui non simul, imò longè magis perpendent prægnantiorem aliam eidem mox donationi, non obliquè, nec enuntiativè, nec præmialiter dumtaxat, verùm per modum causæ primariæ & finalis, directè ac dispositivè expressam clausulam & causam in hæc verba: *Ut Donatarius Bonis in prima Donatione comprehensis simul ac aliis deinceps, in vim hujusce Donationis potiatur, ut propriis.*

Ex qua clausula penitiùs perspecta satis dignoscent, quòd verba hæc in visceribus ipsius dispositionis apposita, totum dispositum funditùs efformare, regere ac determinare debeant, independenter à quocumque præmiali motivo, quòd licèt ad dignoscendam mentem contrahentium dubiam servire quandoque possit, neutiquàm tamen prævalere debet ipsis verbis dispositivis, vel restrictivum aut ampliativum tribuere eis intellectum, dùm ea per se clara & specifica conspiciuntur.

Et ratio est, quia quantacumque sit vis præmii equidem tanta esse non potest, ut vincat, ampliet, vel minuat vim dispositi.

Undè sicut casu quo quis donare volens exposuisset in præmio, se velle donare ut Donatarius suus alimenta habeat, postea autem in dispositione tot Bona donasset, quot etiàm ad luxum abundarent, nullus jure dixerit per argumentum à præmio ductum, coarctandam esse Donationem sic ut Donatarius alimenta præcisè habeat.

Sic in casu nostro, etsi *Joanna Sterck* unicam dumtaxat in præmio postremæ suæ donationis expresserit considerationem à bonorum, si conjungerentur utilitate majori de-

sumptam, ineptum sanè, ab expressione hujus motivi pro bonorum unione in præmio enuntiati, inferre quòd cætera disposita intrà hos effectundæ unionis cancellos adeò sint restringenda, ut ultrà progredi noluisse dicenda sit Donatrix, quantumlibet exuberantioribus terminis dispositionem suam conceperit.

Quasi verò id quod pro coadjuvanda dubiæ voluntatis interpretatione servire aliquandò potest, continuò habendum fit in apertæ voluntatis ac dispositionis subversionem ! quo nihil absurdius.

Consequenter cùm Donatrix in casu, primo quidem loco suam pro unione vel connexionione bonorum de quibus voluntatem in præmio indicatam dispositivè executam sit, deindè verò ulteriùs progressa sit, determinando quo jure, quove titulo hæc unita & connexa Bona imposterùm possidenda erant,

Expressio præmialis motivi circà unionem Bonorum obesse non debet executioni alterius voluntatis circà jus & modum eadem possidendi, licèt motivum expressum in præmio ad istam partem non pertineat, quia equidem sufficit constare de ulteriori mente Donatricis, quæ facta Bonorum illorum conjunctione & donatione, illi donationi suæ legem imposuit, *ut dictis Terris & Dominis de Farcienne & Tergnies in prima Donatione comprehensis, simul ac omnibus dictis partibus dictus D. Albertus utatur fruatur & potiatur ex nunc in posterum tanquam de suo proprio virtute hujus Donationis.*

Ex vi cujus legis *Albertus* ipsa Bona aliàs sibi donata possidere deinceps debuit præcisè virtute postremæ illius donationis, eodemque nec alio jure titulo gradu & statu, ac alia Bona quæ tunc primùm ei donabantur; id est omninò perindè, ac si nulla prorsus donatio anterior evenisset, utpotè quæ evidentissimè remota & perempta fuit per clausulam quæ Bona hæc & illa voluit possideri virtute non illius sed hujus donationis.

Imò quæ insuper voluit eadem Bona à Donatario possideri *uti propria*, quo vocabulo juxtà communem loquendi modum Bona libera distinguente à non liberis dum usa est Donatrix

in posteriori donatione, rursùm magis, magisque demonstravit suum à destinato priùs Fideicommissò recessum.

Nec obstat, quòd, sicut arguunt Adversarii, in asserta donatione de anno 1608. jaceant etiàm hujusmodi verba: Ut *Albertus* post mortem Donatricis bonis ibidem donatis gaudeat tanquam de suo proprio, ibi: *comme de son propre bien*: Quoniam istic continuò & immediatè sequitur particula restringens & modificans, ibi ea conditione ut *Albertus* non possit alienare obligare &c. à conditione qu'icelui *Albert* ni autre en son nom ne pourront aliener changer ou obliger &c. ains sera tenu de les laisser succeder aux enfans &c. hic verò supradicta clausula tota pura & absoluta conspicitur, nullis obstricta vel coarctata repagulis, adeòque in omni & plenissimo suo significatu accipienda, id quod de per annexas restrictiones mutijata dici non possit, adeò ut non nisi pessimè à clausula limitata ad illimitatam trahatur argumentum.

Futile profecto est, quod ingeminant adhuc, clausulam hanc effectus utiquè suos adipisci vel adeptam esse, ex quo in vim ejus partes antea reservatae, & ususfructus Bonorum prius donatorum Donatario accesserint; nec requiri ut ad Fideicommissum etiàm extendatur: duplex enim hic error est in facto, & tertius in jure.

Primus in facto circa partes antea reservatas versatur, nam ex ipsomet tenore instrumenti patens est, earum donationem fuisse illuc prius & litteraliter extensam cum omni necessario apparatu, quàm descenderit Donatrix ad sæpetactam clausulam: *Ut dictis Terris & Dominis*, &c. adeò ut hæc ^{quæ} immediatè consequitur clausula nihil prorsus circa antehac reservata juris vel roboris addiderit.

Error alter in facto respicit usumfructum Bonorum antea donatorum, si quidem supra evidentiam probatum est, quòd si antè annum 1612. aliqua fuerint donata reservato usufructu, ille ipse ususfructus fuerit antè donationem illam de anno 1616. de qua nobis sermo, scilicet ab anno saltem 1613. proprietati conjunctus, adeò ut ex tunc in plena pacifica ac fructuosa Bonorum donatorum possessione *Albertus* Donatarius extiterit, quamobrem dici pariter nequit, quòd illa clausula ad largiendum *Alberto* istum usumfructum (utpotè quem jam tùm habebat) posita fuerit.

Error autem tertius est in jure, nam si verba hæc *ut Bona possideantur uti propria virtute hujus Donationis* habere debent vim operandi; utiquè debent (quandoquidem illimitata sint) producere omnes & quotquot possunt effectus, nec restringi ad unum vel duos, dùm extendi possunt ad plures; in tantum ut si verum foret, quòd falsum esse ostendimus, tribuendos esse isti clausulæ effectus translativos tam ususfructus rerum antea donatarum, quàm Domini rerum antea reservatarum, haud ideò cessare deberet vis ejusdem clausulæ in puncto abolitionis Fideicommissi per anteriorem fortè Donationem instituti, cum hæc insuper clausula juxtà naturalem & propriam verborum significationem debeat (sicut apta est) hunc quoquè effectum producere.

A fortiori autem hunc ipsum effectum producere debet si nullus alius imaginabilis est effectus quem producere posset: nam aliàs dicta clausula prorsus otiosa nulliusque significationis vel effectus foret id quod tamen jura adeò abhorrent, ut in improprium potius sensum verba trahenda

esse doceant, quàm ut superflue posita dicantur: demonstrato autem uti statim factum est, quòd perperam tribuantur huic clausulæ effectus jactitati, clarè consequitur effectum hunc scilicet abrogatorium omnis Fideicommissi ei tribuendum esse, nisi placeat uti otiosam & inertem planè clausulam hanc traducere.

Sed quoniam ut in proverbio est non uno ictu sternitur annosa quercus, nec facilè concepta semel eradicatur opinio, nonnulla adhuc hanc in rem perpendamus.

Consideretur in primis, quòd Donatrix his non est usa verbis: *Bona quæ jam antehac Alberto donavi, iterum eidem dono, & hæc vel illa superaddo;*

Nequè his: *ut Bonis postea acquisitis, simul ac Bonis antea donatis potiatur Albertus vigore hujus Donationis.*

Utroque enim casu non improbable dubium foret, an non priora starent cum clausulis suis, & posteriora incrementum illis adderent.

Sed usa est his: *Ut Terris & Dominiis de Farcienne & Tergnies in prima donatione comprehensis simul cum aliis partibus uti propriis potiatur Albertus in vim hujus donationis.*

In qua locutione singulariter notandum, quòd Dominia & Bona ista priùs donata primariò & principaliter enunciuntur possidenda in vim hujus donationis; intereadum ista alia Bona addita minùs principaliter seu per simplicem clausulam *simul* connectuntur. Id quod sanè denotat etiàm majorem ad ista priùs donata attentionem habuisse *Joannam*, quàm ad alia quæ adjungebat, dum utrisque asserere voluit eum libertatis statum, qui contractui quem tunc inibat naturaliter inerat.

Perpendatur 2º. quid dicendum foret eo casu, quo postrema hæc Donatio sub legibus clausulisve onerosioribus concepta fuisset, nec minùs istam habuisset conditionem: *ut Bona priùs donata possiderentur vigore hujusce donationis.*

Quis neget, quin in ista hypothesi, Bona anteriùs donata eisdem omnibus legibus & oneribus supposita esse debuissent, quæ in isto contractu posteriore apparerent? quoniam hæc foret vis dictæ clausulæ, imponentis legem possidendi in vim seu virtute aut vigore postremæ donationis.

Ac proindè, si è contrario verba secundi contractus dum antè donata transferunt in novum jus & titulum possidendi ex contractu de anno 1616. referunt se ad dispositionem quæ undequaque

dequaque sapit libertatem, quis jure invidet, quin ista antè donata induerint naturam posterioris ac liberioris dispositionis, expulsâ priorè? Quoniàm hoc pacto unus Contractus per alterum suffocatus sit;

Non quidem secundus Contractus per primum, sed sanè primus per secundum, qui priorem ità absorpsit ut juridicè loquendo secundus Contractus omnis Donationis primordium, complexum, & complementum fecerit.

Verùm tamen addere liceat, hæc quæ ad evidentiam usquè demonstrata putamus? adhuc maximè illustrari ab observantia secuta, removente tantò magis vel minimam stantis Fideicommissi suspicionem.

Testes invocamus alienationes, quas ipse Donatarius & Successores ex dictis Bonis subindè fecerunt, ad quas proflire stante Fideicommissio nec fas eis fuisset, nec impune factum fuisset; stantibus è vicinia personis vocatis seu substitutis, quæ adversus eas pro jure suo haud omisissent reclamare, id quod nequidem somniârunt.

Porrò doctum est in actis, quòd jam ab anno 1638. 27. Maii *Albertus* ipse Donatarius partes eorundem Bonorum publicè & sub hasta vendiderit;

Quòd ille ipse die 23. Septembris 1641. eadem Bona & Dominia ergà summam sedecim millium florenorum specificè hypothecaverit;

Quòd idem *Albertus* eorundem Bonorum usumfructum post mortem suam primo loco à Matre sua & post eam à Coniuge sua fruendum legaverit; qui tamen ususfructus jure intestati Leod. nec Matri competeat, nec Uxori, præterquam ei quæ secundum Leges Leodienses nupsisset; quantominus stante Fideicommissio.

Deniquè quòd *Alberti* Filius & primus Successor *Ferdinandus* titulo etiàm gratuito eorundem Bonorum partem instrumento publico donaverit & alienaverit.

Sicut autem abest ab omni verisimilitudine, quòd tot alienationes ab his Possessoribus contra Fideicommissi perpetui legem factæ fuissent, si eam adesse credidissent; ità abest ab omni verisimilitudine quòd eam legem si imposita fuisset ignorassent. Videamus reliqua tametsi frivola, quæ adversum præmissa regerunt adhuc Adversarii.

Dicunt in primis probatum non esse, quòd hæc vel ista alienata vel hypothecata fuerint partes Bonorum Fideicom-

missorum cum potuerint esse posterius quaesita: frivola responsio. Quandoquidem eis ipsis saltem incumberet acquisitionis posterioris probatio, cum ea non praesumatur.

Adde in pleniorum confutationem, quod inter praedictas alienationes, ejusmodi sint quae omnia integraliter Bona affecerint, quemadmodum usufructus ille generalis datus personis ad fideicommissum non vocatis, & hypothecatio ista de anno 1641. universa similiter Bona de *Farcienne* percutiens, adeoque etiam praetense fideicommissa.

Dicunt 2^o. quod si ex Fideicommissis factae sint alienationes jus competat vocatis, partes alienatas earumve aestimationem revindicandi.

Sed hoc est merus circulus, & petitio principii, scilicet supponere Fideicommissum, quod alienationes ipsae cum aliis argumentis junctae convincunt esse imaginarium.

Addunt pro finali *Joannam Sterck*, quae per tam graves elaboratasque clausulas Fideicommissum anno 1608. condidisse supponitur, haud esse praesumendam, voluisse mox ab eo recedere & paucissimis verbis Donationem gravatissimam in liberrimam transformare.

Quasi verò non inanis esset ad conjecturas & praesumptiones recursus, dum verba instrumenti per se loquuntur, & imò nec aliam salvam recti sermonis ratione interpretationem pati possunt, quam ut volitum fortè prius Fideicommissum tolleretur.

Ceterum ut ex abundanti demonstratur frustrà ex parte *Joannae Sterck* derivari causam quò minus verba saepetactae Donationis de anno 1616. accipienda sint in pleniori suo significato, sicut sonant, adeoque cum libertate omnimoda Bonorum illorum, quae tandem illa voluit *virtute hujusmet secunde Donationis demceps ut propria possideri*, notandum est,

Quòd si praetensum Fideicommissum de anno 1608. voluisse & condidisse dicendae sit *Joanna*, utique per hoc Familiae vel Posteritati suae non consuluerit, sed omninò alienae.

Nulla quippè agnatio vel cognatio, & affinitas nulla, nisi fortè spiritualis erat inter *Joannam Sterck* & Familiam de *Longueval*, nam etsi *Joanna* erat tunc Vidua *Ludovici Comitis de Biglia*, cujus *Ludovici* Soror nupserat *Carolo Patri Alberti*, nihil inde conjunctionis inter Familias de *Sterck* & de *Longueval* natum erat.

Et sic in hypothese tantò facilius moveri *Joanna* potuit, ad

recedendum à proposito (si quòd habuit) constituendi in Familia *de Longueval* sibi planè extranea Fideicommissum ; quòd ex eo ne quidquam sibi aut suis accessurum esset honoris vel emolumentum : multùm autem decessisset de fructu benevolentiae illius personalis , quâ in Filiolum *Albertum* ferri profitebatur.

Urgetque tantò magis argumentum , ut planè verisimilem, ac voluntariam fuisse existimemus remissionem Fideicommissi per *Joannam Sterck* in Familia *de Longueval* uti volunt erecti? quòd videmus eam ipsam abdicasse favore ejusdem *Alberti* jura quæ sibi ipsi & in rem propriam (sicut in præsupposito contractu de anno 1608. legitur) expressè reservaverat nempe 1°. usumfructum integrum seu Dominium ad dies vitæ rerum ut aiunt donatarum anno 1608. deindè 2°. plenam & integram Bonorum à defuncto Conjuge suo post annum 1596. acquisitorum proprietatem.

Cùm enim *Joanna* secundùm Adversarios ipsos illa sua personalia & propria jura actualia favore Filioli sui *Alberti* plenè abdicaverit anno 1616. dicendum est eandem tantò faciliùs in amotionem quoquè Fideicommissi à se in rem alienæ Posteritatis constituti etiàm consensuram fuisse si aliquandò adfuisset, vel de facto etiàm consensisse si adfuerit , cùm ex eo planè nihil in rem propriam reportaret nec jucunditatis nec utilitatis.

Sed hæc ut dictum est abundant , dùm sufficit Comiti *de Stubick* suus Originarius & indisputabilis Titulus de anno 1616. qui per se, absquè exteris adminiculis, Bonorum quæ à D. Uxore sua remuneratoriè accepit plenissimam libertatem probat , cùm omnem antea fortè destinati Fideicommissi eventum vel excludat , illum nequidem memorando ; vel subsistentiam saltem ulteriorem eliminat eo ipso , quo futuram deinceps , sive antè sive tunc donatorum Bonorum possessionem ad terminos limites & gradus novissimæ donationis quæ ab omni vinculo & onere immunis ad oculum conspicitur , reduxit.

Adeò ut concipere vix detur , quomodò in contrarium potuerit huic secundo contractui in novissima sententia sensus adaptari talis, qui nedùm anterioris donationis substantiam non reducit ad propriam secundi, juxtà naturalem verborum significationem ; sed imò qui id omne, de quo contractus ille secundus disposuit, ad istius anterioris leges redu-

cendum esse determinavit, tametsi secundus ille contractus planè nihil à primo accipere debuerit, nec acceperit.

Hic imponeretur finis dicendorum in puncto Fideicommissi nisi elucidanda etiàm superesset aliqua nova in *judicio Restitutionis in integrum* deducta exceptio, quæ etiàm in supposito veri & incontestabilis Fideicommissi saltem efficeret, ut Comiti Appellanti nocere illud non posset, sed ut quoad ipsum pro Fideicommisso nunquam instituto vel imposito habendum esset.

Stat hæc exceptio in defectu opportunæ insinuationis Fideicommissorum, necessario faciendæ apud Ordines Patriæ Leodiensis à quibuscumque personis, jus ad Bona illic consistentia ex Fideicommisso prætendentibus, ad hoc ut excludant alios qui medio tempore cum personis Fideicommissis gravatis intuitu eorundem Bonorum contraxerint; quam legem de Ordinum Provincialium consensu imposuit Serenissimus Maximilianus Henricus Episcopus & Princeps Leodiensis anno 1686. postquam planè similem quoad Bona sub Dominiis suis instituta vicini Principes constituerant.

Et rectè, quid enim durum magis omnibus contrahentibus quàm ex Fideicommissis, cujus nullam habuerant dum contraxerunt notitiam sese intueri delusos, cum maximè existimarent se præfatorum Bonorum factos esse legitimos vel creditores vel emptores aut alia ex causa jus certum ad ea habentes.

Hæc autem lex non futuris dumtaxat seu instituendis ab eo tempore Fideicommissis data est, sed etiàm præterita, id est antè annum illum 1686. instituta fideicommissa perstrixit, eâ conditione, quòd nisi jus reclamare volentes ex anteriori Fideicommissis Registrationem illam procuraverint *intra annum à die Edicti, postponendi erunt aliis qui cum Possessoribus Bonorum fideicommissorum contraxerint.*

Legem hanc ignorare non debuit, imò nec ignoravit Comes de *Battiany*, utpotè qui die 16. Aprilis 1733. prætersam sub Fideicommissis donationem de anno 1608. conformiter ad dictam legem insinuari curavit, apud Ordines Patriæ.

At seriùs, utpotè non solùm annis quadraginta & ampliùs post lapsum termini fatalis edicti, sed etiàm tribus circiter annis, postquam Donatio *Mariæ Philippinæ* in favorem Conjugis sui Comitis *de Stubick* 26. Junii 1730. facta, & in Actis Curia

Curia Feudalis 28. ejusdem Mensis realisata erat, ac in vim illius idem Donatarius ad investituram & relevium jam admissus fuerat.

Proindè huc intrat formalis casus Legis seu Edicti, juxtà quod caducum & sinè effectu esse, seu vim nullam habere debet Fideicommissum (qualecumque sit) quod prætendentes ex eo jus, curæ non habuerunt insinuare apud Ordines Patriæ, vel intrà annum à die Edicti quoad anteriora fideicommissa, vel quoad posteriora, priùs saltem quàm quis alius cum Possessore Bonorum fideicommissorum super eis contraxerit.

Utiquè enim hunc quibuscumque vocatis præferendum esse jubet Lex, quæ clandestina fideicommissa reprobat & quam favor publicus ac vicinorum usus commendat; haud dispari ratione, quâ statutum est in universis forsan Europæ partibus, jus reale vel hypothecarium non nasci ex contractu cum præjudicio posteriùs contrahentium, nisi contractus ille apud acta Judicis competentis fuerit prior insinuatus.

Sicut autem eo circà nullum inter causam lucrativam & onerosam attenditur discrimen, sed sibi imputare debet qui jus suum neglexit; ità nec circà subjectam materiam debet attendi, cum eadem semper subsit ratio boni publici, ne quis fallatur.

Præterquàm quòd versemur in casu remuneratoriæ donationis quæ non tam lucrativum quàm onerosum titulum constituit, & compensationis plusquàm donationis obtinet naturam; id quod omninò attendi meretur ad casum, ubi D. Comes Appellans tunc juvenis & jam Capitaneus Catafractorum Equitum sub Vexillis Cæsareis militari fortunæ sibi præparatæ renuntiavit, ut D. Viduæ duas habenti proles & infirmæ valetudinis adhæreret sicut adhæsit per annos plus viginti.

Cæterùm, quoniàm dictum fuit suprà, disceptationem inter Partes præcipuam volvi super discusso hæctenùs, & uti nunc speratur, funditùs destructo Fideicommisso congruere nunc videtur, ut alterum minùs principale Partis adversæ munimentum quod à jure devolutionis desumit, in dando specimine universalis causæ non omninò prætermittatur.

Hæc sunt illius Fundamenta.

1º. Quòd *Maria Philippina* ex primis suis Nuptiis cum de-

functo D. Comite de *Waldstein* genuerit *Barbaram*, ex qua natus est *Eugenius Comes de Battbiany*.

2°. Quòd Comes de *Waldstein* præbierit *Mariæ Philippinæ* Uxori suæ.

3°. Quòd Jus Leodiense per mortem alterutrius Conjugum Bona immobilia Leod. devolvat in Liberos ex eo Matrimonio natos, quoad proprietatem, nudo eorundem usufructu apud Conjugem superstitem permanente.

4°. Quo usufructu cadat etiàm usufructuarius qui eo abutitur in præjudicium proprietatis devolutæ, puta si proprietatem ipsam vel alienet vel hypothecet.

Quorum fundamentum veritas admittenda est pro primo & secundo, sed non sinè declaratione & restrictione quoad cœtera.

Nam circà quartum, quamvis pro consuetudine Leodiensi tradatur, quòd qui abutitur usufructu, usumfructum amittat, consuetudo ista ut sit rationabilis, debet supponere in abutente dolum, id est quòd malâ fide egerit, qualiter non agit is qui se non simplicem usufructuarium sed etiàm pleno jure proprietarium existimavit dùm alienavit, quippè nec delictum est sinè dolo, nec pœna datur absquè delicto.

Ac præterea hæc consuetudo cùm stricti juris sit, eo minùs videtur extendi debere ad feuda tanquàm requirementia specialem sui mentionem, ut constitutio aliqua generalis ad ea porrigatur.

Cœterùm mortuâ nunc *Mariâ Philippinâ*, quæ prætendebatur fuisse nuda usufructuaria, hæc quæstiones potissimùm cessant, & ab examine §. tertii supratacti dependet decisio: An Bona de *Farcienne* & *Tergnies* devoluta vel subdevoluta in rem Comitis *Eugenii* per mortem Comitis de *Waldstein* Avi ejus, aliquandò fuerint.

Itaquè hunc §. tertium resumendo procedendum est cum distinctione: aut agitur de Bonis Leod. in Matrimonium hinc vel inde collatis,

Et tunc vera est Articuli tertii sententia, quia sicut Bona in Matrimonium illata inciderunt in communionem conjugalem, ita soluto Matrimonio incidunt in devolutionem:

Aut quæstio est de Bonis, quæ à Conjugibus eorumve alterutro in Matrimonium de quo agitur, illata non fuere,

Et eo casu funditùs erronea est sententia quæ dat locum Devolutioni, dùm factus non fuit locus illationi.

Non prætendit ergò Comes *de Stabick* (quemadmodùm imaginati sunt Adversarii) quòd Devolutio ista favore Liberos Jure Leodiensi non competat , nisi quandò inter Conjuges viguerit Jus illum connubiale Leod. quod *jus manus plicatæ* vocant ; juxtà quod Uxor ejusque Bona in Mariti potestate sunt.

Sed hoc unicè prætendit , & meritò quidem , quòd nulla Bona quorumcumque Conjugum in Liberos eorum soluto Matrimonio devolvantur quoad proprietatem , nisi ea quæ in istud Matrimonium undè Liberi orti sunt realiter fuerint illata. Ità ut id quod unus vel alter Conjugum in Matrimonium non intulerit , adeòque prolibus ex eo nascituris ipso facto non destinaverit , absurdum sit in hos Liberos , quasi ex tacito pacto Parentum , fieri devolutum.

Porro quid in Matrimonium collatum fuerit pacta dotalia si quæ adfuerint demonstrant : ubi verò non adfuerint jus municipale seu locale aut domiciliare supplet.

Sed in casu producta sunt pacta dotalia inter *Mariam Philippinam* & Comitem *de Waldstein* inita, quibus ex parte sponsæ promissa fuit summa unica pecuniaria, quam sponsus etiàm pro numerata & accepta habuit , de cætero autem sponsa nec præsentia, minùs futura , aut contingibilia Bona sua in illud Matrimonium intulit.

Quidquid ergò pendente adhuc illo conjugio *Mariæ* cum *Waldsteno* Bona de *Farcienne* ad *Mariam* pervenerint per obitum Fratris sinè prole defuncti,

Sicut in facto absolum nimis esset prætendere , quòd illa Bona in istud Matrimonium illata fuerint , ità in jure erroneum est sentire , quòd ea Bona , per illius Matrimonii dissolutionem in Liberos ex eo natos devoluta fuerint ; qui error dudùm confutatus est ex Doctrina *Caroli de Meun* disertissimè docentis , quòd *per solutionem Matrimonii devoluta dici non possint Bona quæ in Matrimonium non fuerunt illata* , sicut etiàm docet alibi , quòd tunc demùm Bona hinc & indè Conjugum proprietariè devolvantur in Liberos eorum per præmorientis obitum , *ubi pacti dotalis lex non obstat*. Obstat enim quis non dixerit pactum dotale , dùm ad certa dumtaxat Bona restrictum alias Bonorum species à dispositione sua excludit , & ostendendo quid in Matrimonium illatum sit , simul demonstrat , quid Legibus connubialibus etiàm Statutariis submissum vel econtrà ab eis præservatum dicendum sit.

Cùm igitur in casu , negativa factæ illationis probetur ex pacto dotali , demonstrante quid illatum sit , & quò usquè Sponsa se vel Bona sua obligaverit , versamur in claris , nec plura hac super re congeremus , cùm nec suspicari liceat , quasi Supremum Judicium Camerale contrariam Judicium inferiorum & adversùs quam ipsimet aliàs judicârunt , opinionem eo in puncto confirmare intenderit.

Supereft nunc , ut Appellans hiscè nonobstantibus contrà expectationem condemnatus benignè exaudiatur , repræsentans quòd si præcedenti causæ suæ instructioni aliquid defuit , illud imprudentiæ potiùs quàm incuriæ tribuendum sit ; eo quod suspicari nunquàm potuerit , progressum iri in causa principali , priusquàm attentata de quibus jam à Mensibus conquerebatur , discussa & reparata fuissent , sicut spes ingerebatur.

Enim verò conquestus erat , quòd executioni etiàm se non citato & spretâ insuper superioris immediati inhibitione , per Mandatarios Comitis *de Battbiany* attentatæ inter diem denegati , & illicò secutam diem concessi proclamatis , nequidem adhuc renunciatum erat , nec ab emissis in debitores & colonos suos inhibitionibus ne sibi deinceps quidquam persolverent ab altera parte recessum erat.

Undè super his attentatis , ratione signanter continui & successivi gravaminis (quippè eadem inhibitiones hodiènum in eodem permanent statu) clementissimum remedium ferventer implorabat , ratus supremi Dycasterii (dùm obmotæ desertionis rejectoriam pronunciavit die 18. Martii 1738. additâ Actoriâ ut hinc indè Procuratores in Causa principali quod decet agerent aut submitterent) eam non fuisse mentem , uti nec adhuc fuisse creditur , illa rejicere vel postponere attentata , quæ tractum continuum & perseverantem cum ulteriori partis præjudicio & supremæ inhibitionis vilipendio continerent.

Quapropter etiàm his unicè intentus fuit Appellantis Procurator , testibus instantiis & supplicis suis mox à dicta Actoria usque ad diem 13. Januarii A. C. humillimè oblatis.

Quâ die novam adhuc præsentavit Supplicam pro coercitione attentati novi die quintâ ejusdem mensis ab Appellantis Mandatario Commissi , utpotè qui Lite & inhibitione Casareâ pendente , novam Castri possessionem apprehendere seu priorem nulliter & attentatoriè captam à novo (ut dixit) resumere absquè ullo Judicis decreto vel licentia præsumpsit ,
imò

imò & facti sui testatum relinquere non erubuit.
 Istud porrò attentatum novissimum, longè minùs adhuc
 quàm priora querelata, dici poterat per sententiam anteriorem
 de anno 1738. vel cognitum vel postpositum, sed imò ma-
 gis ac magis spem injiciebat, quod supremum Dycasterium
 istorum impatiens, eadem simul attentata uno mucrone re-
 secaturum, vel *Actoriam* saltem novam daturum esset, si ea
 differenda vel postponenda contrà spem judicaret.

Hinc perperàm objiceretur Appellanti, quòd in humilli-
 mis *Triplicis* vel aliis scripturis antè *Actoriam* die 18. Martii
 1738. à se præsentatis non adeò simpliciter attentatorum re-
 parationi inhæsisset, quin simul etiàm circà ipsum principale
 quatenùs sufficienter appareret instructum Jus dici suppli-
 casset.

Et verò per hoc demonstrare voluit confidentiam in bono
 jure suo, etiàm quoad principale quod altera Pars ad infun-
 dendum causæ nostræ malum odorem etiàm indirectè impe-
 tebat, dum tamen ad desertoriam unicè concludebat.

Nam animadverti simul supplicatur, quòd post pronun-
 ciatam eam sententiam de 18. Martii 1738. Causa princi-
 palis utrimquè tota quieverit adeòque in tuto credita sit,
 propter petitam tunc maximè attentatorum, quorum effe-
 ctus adhuc pro parte durabant, purgationem.

Præsertim adhuc, post supervenientiam istius alterius te-
 merarii attentati de quinta Januarii novissimi cum circum-
 stantiis & probationibus suis demississimè repræsentati in Sup-
 plica nova de 13. ejusdem mensis Januarii, cujus indilata
 flagitabatur repressio.


Et super qua supremi Judicis Oraculum tantò securiùs ex-
 pectabatur, quod Procurator adversus per Recessum suum
 de 16. dicti mensis Litem eo in puncto contestatus fuerat, ex-
 pressè, negando *fundatum esse id quod de attentatis dicebatur*,
 quo pacto sese adstrixerat Judicio super eis attentatis fe-
 rendo.

Verùm tamen ut rei sit, sive nimia Appellantis con-
 fidentia in bono jure suo tunc tamen nondùm satis expla-
 nato, sive incauta opinio ejus, nihil in Principali pro-
 nunciatum iri antè purgationem attentatorum, locum de-
 derit pronunciandæ Sententiæ de 23. Januarii novissimi per
 quam ad extradendas D. Appellato Toparchias de quibus cum
 partibus etiàm anno 1616. donatis, nec non ad fructus à

die Litis contestata perceptos & insuper ad Litis expensas (paucis exceptis) refundendas Appellans condemnatur; nunc saltem, postquam argumenta & documenta nova ac ulteriora edita sunt, quibus Appellans Reus & Possessor suum jus undequaque confortavit, nihil arrogantia sibi tribuendum existimat, si plenariam in integrum Restitutionem cum sui absolute, quemadmodum demississime supplicavit, confidentius adhuc preestoleretur.



[Faint, mostly illegible text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'Hinc perperam objiceretur Appellans', 'quis in humilli', 'mis Tristes vel alia scripturis ante', '1738. a se practicatis non adeo simpliciter', 'parationi inhaereret, quin simul etiam ipsam principale', 'patentis sufficienter appareret instructum jus dici suppli-', 'calice.', 'Et vero per hoc demonstrare voluit confidentiam in bono', 'jure suo, etiam quod', 'debitum casu non', 'tebat, dum tamen', 'Iam animad', 'ciam tam sententiam', 'patis utimur tota', 'propter petita tunc', 'Gus adhuc pro parte', 'Præterea adhuc, post', 'metam accessit de', 'fructu & probacionibus suis demississime repræsentari in sup-', 'plicia nova de 23. ejusdem mensis Januarii, cujus indultus', 'significavit respectu.', 'Et super qua præterea Judex Oxoniensis tantis seculis ex-', 'pectabatur, quod Procurator adversus per Responsum suum', 'de id. dicti mensis Irem eo in puncto contestatus fuerat, ex-', 'prose, negando fundatum esse id quod de attentato dicebatur', 'quo pacto se adhiberet Judicio super eis sententia se-', 'tendo.', 'Verum tamen ut re sit, sive prima Appellantis con-', 'fidentia in bono jure suo tunc tamen nondum satis expla-', 'nato, sive incans opinio eius, nihil in Principali pro-', 'nunciata in ante parationem sententiarum, locum de-', 'bitis pronuntianda sententia de 23. Januarii novissimi per', 'quam ad extractendas D. Appellate Toparchias quas cum', 'partibus etiam anno idem donata, nec non ad fructus &



OpCARD 201

© SUB GÖTTINGEN/GDZ